



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1601. usque ad annum 1605

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118790**

§. 6. Quarti examinis acta summo Pontifici oblata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67204)

Sæc. XVII.  
A. C. 1601.

§. VI.

*Quarti examinis acta summo Pontifici oblata.*

*Ex Diario  
Pegnæ Hist.  
Congr. l. 2.  
cap. 23.  
Hist. controu.  
l. 4. c. 33.  
Bellarm. ep.  
ad Clem.  
an. 1601.*

Absoluto hoc examine Consultores Conronello, qui huic cætui a secretis erat, necnon Bossutio Doctori Sorbonico negotium dedere, ut tam Molinæ propositiones, quam adjunctas confirmatasque censuras unacum Jesuitarum vindiciis nitidiori calamo conscriberent summo Pontifici exhibendas: priusquam vero hi injuncto satisfacerent operi, Clemens Papa die sexta Augusti Censores adesse iussit, de Congregationum successu sciscitatus, perceptaque rei gestæ ferie ad Bovium Carmelitam conversus, ac per duos & amplius horas contra scientiam Mediam disputans, nec hunc nec Plumbinum, qui semper a ceteris dissenserant, actorum recognitioni interesse voluit. Huic ergo operi insudatum est per integrum ferme semestrem. Tandem die quinta Decembris Censores cuncta Congregationum acta summo Pontifici exhibent, qui tam amplam scriptorum congeriem intuens, *si vobis*, inquit, licet numero duodecim fueritis, *ad ea perficienda annus fuit necessarius, mihi soli certe ad ea perlegenda annus non sufficiet*, ad hæc reposuit Agathensis

thenſis Epiſcopus, quod ingenii ſui facilitate, hauſtaque jam prius plena totius controverſiæ notitia ex æquo facile judicare poterit, etſi non omnia minutatim perlecturus eſſet; aliunde vero hanc in rem ſcripta jam toties audita, & diſcuſſa forent, ut nova hæc Congregationis judicia adverſariis tradere, non modo ſupervacaneum, ſed & ſat periculofum crederet; idem quoque Bellarminus ſummo Pontifici his verbis innuebat: tantum illud Sanctitatis veſtræ ſtudium, *ut univerſa, quæ ſibi legenda conſtituit, legat, minime neceſſarium eſt, jamque ſatis legit ac ſtudit.* Nihilominus Pontifex priſtini propoſiti promiſſique tenax rem ſeſe nonniſi abſoluta actorum lectione definiturum reſpondit.

Sæc. XVII.  
A. C. 1601.

§. VII.

*Rumor de damnationis ſententia propediem a Pontifice ferenda.*

His ita Romæ agitatis, ac publica fama ubique divulgatis variis, & ut fieri amat, mendax rumor de infausto Molinæ fato in Hispaniam uſque deſerebatur, nuntiatumque, hunc Auctorem ejusque doctrinam non modo propediem damnatum iri, ſed etiam Molinæ ſtatuiam Romæ exuſtam, ac Jeſuitis omnem docendi uſum interdicens

*Epist. Bellarmini ad Padillam Fuligatus in vita Bellar. l. 6. c. 7. Cellotus l. 8. Hierarch. cap. 18. p. 33. Petra Sancta in vita Bellarmini.*

B 2

dum